



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum  
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt VII. Acediæ natura, damna, remedia, in studioso iuene ostensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

scivit, quod neque dormire, neque quiescere potest, neque cibis ei sapit, ut in Aman est videre; denique etiam paulatim contabescit. Nonne hoc est seipsum & occidere, & perdere in gehennam? Si ergo indignamur illi, qui alterum ita oderat, ut animam cum corpore in exitium mittendi inuenerit rationem, cur non potius nobis ipsis irascimur, quod irascamur; &, velut cuneo cuneum, ita irascimur, & nolite peccare. Sic discite cum omnibus pacem habere. Beatus, cui post mortem Mundus epitaphium ponere potest, quale Romæ positum refert Appianus: Q. CAVIVS SEVERVS RVTLIÆ PRIMITIVE CONIVGI SVÆ DVLCISSIMÆ, CVM QVA VIXIT, ANNIS XX. SINE BILE: aut quale, in agro Nemausensi cernitur: D. M. S. SYLVIVS PATERNVS VXORI RARISS. EXEMPLI. CVM QVA VIXIT ANNIS XXXII. SINE VLLA ANIMI LÆSVRA E. S. V. P. Itaque homini aliàs etiam religioso, sed impatientiæ motibus non satis imperanti dici potest,

Appian. in  
Antiquitati-  
bus.

Quid. epist. 3.  
Heroid.

*Vince animos, iramq; tuam, qui cetera vincis.*

## CAPVT VII.

# ACEDIE NATVRA, DAMNA, REMEDIA, IN STUDIOSO IUVENE, OSTENSA.

### PARS PRIMA.

I.  
ACEDIA QUID,  
ET QVAM PE-  
RICVLOSVM  
SIT VITIVM?

S. Thom 2. 2.  
q. 35. 2. 2.

**C**AVDVM, nobilissimus charitatis fructus, vel de bono Dei, vel de bono proximi, in nobis oritur; atque idcirco geminum est. Vtrique tristitia quædam opponitur. Illa, tristitia, quæ aduersatur gaudio ob bonum diuinum nato, *acedia*, seu tristitia de bono diuino; quæ autem est contra gaudium è bono proximi profectum, *invidia* appellatur. Qua de caussa D. Thomas censuit, prius de *Acedia*, quàm de *Invidia* tractandum. Alij tamen in vltimum *Acediam* locum relegant, non quòd sit minimum vitiorum ( siquidem charitati virtutum omnium reginæ, & quidem magis, quàm *Invidia* opponitur, quod pauci expendunt ) sed quòd in vitij ordo nullam indicet dignitatem, Et decet *Acediam* vltimus locus,



locus, cum ipsi etiam pigri atque acediosi, in rebus spiritualibus, semper ultimi velint esse, primi aliam in somno, & lecto, & vino, & reliqua corporis comoditate. Nempe *asinus stramenta mauult, quam aurum*, vt, teste Aristotele, dixit Heraclitus. Ceterum hoc vitium paucis est satis notum, tantoq; nocentius, quanto latentius: quod, teste Cassiano, solitarijs atque in eremo quoque sanctissimè commorantibus, tanquam frequens & infestus hostis insidiatur. Quae de causa apud Ioan. Climacum *Acedia est remissio anima; & resolutio mentis; pusillanimitas exercitationis; odium professionis; munda-  
norum beatificatrix; detractrix Dei quasi inclementis, & existentis sine benignitate; attonita in psalmodia; infirmans in oratione; in ministerio ferrea; in opere manuum pigra, in obedientia improba*. Quare vel in his solis rebus Deo nauseam mouet, etiam virorum aliam probatorum: Angelo Ephesi scribe, ait Dominus, *Hac dicit, qui tenet septem, stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt; & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinisti propter nomen meum, & non defecisti*. En quantus vir? & tamen subiungitur: *Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti! Memor esto itaque, unde excideris: & age poenitentiam, & prima opera fac*. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris. Hoc Ephesiorum Episcopo satis graui-  
bus verbis est indicatum. Episcopo autem Laodiceae dictum est: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neq; calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Nec immerito, ait Daniel Abbas apud Cas-  
sianum, eos Dominus, quos iam in visceribus receperat charitatis, no-  
xiè tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pro-  
nunciat: qui cum salutare quodammodo ei potuissent praebere substan-  
tiam, auelli ab eius visceribus maluerunt; tanto deteriores effecti illis,  
qui nunquam ori Dominico illati sunt, cibis, quanto id, quod nausea com-  
pellente proijcimus, odibilis detestamur*. Quod si hunc *Acedia*, in viris pijs, & de salute sua sollicitis fructum parit, quae damna non efficiet in Politicis illis, aut secularibus animis, qui in vtramuis au-  
rem otiosè dormiunt, & verè, *neque frigidi, neque calidi sunt: vellent*

Aristot. l. 102  
Moral. Ni-  
com.

Cassianus l. 9.  
& toto l. 10.

Apoc. 2. 1.

Apoc. 3. 13.

Cassian. col-  
lat. 4. c. 19.



enim sua beatitudine, ad quam conditi sunt, non excidere, & tamen nolunt ea facere, quæ necessaria sunt ad beatitudinem consequendam. Prodest igitur, immo valde necessarium est, ut *Acediam* in Arcadico germine aliquo penitiùs inspiciamus, quod in Exempli narratione faciemus.

II.  
HISTORIAE  
AVTHOR A C  
CONVENIEN-  
TIA.  
Spec. Exem-  
plorum dist.  
4. exemp. I.  
Item Caro-  
lus Abbas. in  
Stemmat.  
Christi. die  
15. Maij.  
Item in Li-  
tan. Laure-  
tan. ad illud:  
*Spiritus San-  
ctus Deus.*

Vt autem appareat, non illico contemnenda esse, quæ obuia sunt, ex obuio libro historiam recitabo, hoc ipso non obuiam, quia optimus liber à multis non legitur, obuia non legentibus, cum sectentur peregrina; curiositatis studiosi, non pietatis. In eo igitur volumine, cui titulus est *Speculum exemplorum*, narratur, quod etiam alios in suis libris non piguit commemorare, de duobus fratribus, Parisios, tanquam ad mercatum bonarum artium ac litterarum, causaque studiorum, missis. Horum ego historiam tantò libentiùs recito, quia & huc solent mitti quàm plurimi adolescentes & iuvenes, ut, in celebratissima Academia, scientijs ditati, domum redeant, cum gaudio parentum, patriæ suæ emolumento, & calii applausu; qui, in hoc exemplo, vitam moreque suos perspicuè intuebuntur, siue Palladem, siue alia à litteris & sobrietate abducentia Numina aduenerentur; siue reducti, siue seducti. Nemo quippe in vitio à primo ortu fuit, sed vel sua quisque culpa fit improbus, vel alterius exemplo.

III.  
DVORVM FRA-  
TRVM DIVER-  
SI MORES.

Senec. ep. 27.

Duo, iisdem parentibus, nobilitatis antiquitate opibusque claris, oriundi fratres, ad Parisiensem Academiam amandati, egregiè ostenderunt, se eodem ovo prodijisse, non eodem astro natos fuisse. Ut enim inter primos fratres, Abel & Cain; & inter Iacob atque Esau; itemque inter Etheoclem & Polynicem Oedipi filios; interque Romulum & Remum: ita & inter hos magnum vitæ morumque discrimen intercessit. Minor, maiorem ingenio, diligentia, pietate; maior minorem otij amore, libertate ludendi, vitæque licentia superauit. Et quia ignavis semper sunt feræ, litteræ illi insuaves fiebant. Enimvero, quia *desidiosè studere, torqueri est*, supplicij illi loco fuit litterarius labor. Nunc excusabat valetudinem, nunc nescio quas occupationes rei domesticæ obtendebat; nunquam obstabat rigor hyemis; aliàs æstatis feruor; interdum autumnum periculosum cælum; demum auocabat à libris veris amantissimas mox fugitura. Præfusus negabat esse rem habendam cum libris antè,



antè, quàm concoxisset stomachus. Impranso obstrepebat fames, quò minùs liberet. Luce dicebat, ignaum esse, domi desiderè; ceterùm ad lucernam vigilare, oculis inimicum. Si suppetit res domestica, inquiebat, quorsum opus litteris? Denique, aiebat, cur xui florem curis senilibus absumam? Omnia iunior contraria sentiebat, dicebat, faciebat: eratque inter eos tale, quale inter diem, ac noctem discrimen. Ille, domi inter libros; iste inter scyphos, cantharos, & fritillos: ille cum doctis, iste cum rudissimo quoque agasone, libenter versabatur. Ille leges ita callebat, vt eas in digitis numeraret: iste ne Æsopum quidem triuerat. Foris ille nunquam, nisi cum ad scholas, disputationesq; & templa eundum esset, videbatur; iste sapius in sphæristerio, & ganeis, quàm in Lyceis inueniebatur. Illi graue erat prodire ad spectacula: huic crux fuit, vel vna hora, solum manere apud se. Itaque nunc hos, nunc illos inuisens & obruens, interturbauit; nihil pensi habens opportunusne, an importunus hospes veniret; gauisus, si alios à litteris posset auocare, quas oderat ipse. Secus itaque accidit, ac cum prodigo filio, fruges consumere nato, cuius frater natus maior frugi fuit, ipse profectus in regionem longinquam, ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Diuersa hinc res fuit: non enim idem fratrum virtute, qui & ætate maior erat: ille pietatem, iste nequitiam cordi habuit. Et quia malos faciunt malorum falsa contubernia, quantum ille abhorruit à consortio prauorum, tantum iste quaesuit omnibus potentium, ludentium, saltantium conuenticulis interesse. Nihil illum iactura temporis, nihil pecuniarum inutilis profusio, nihil destructio sanitatis, nihil malum nomen, nihil infamia aut sua, aut sociorum mouebat. Perinde illi erat, vt malum esse, ita & malum dici. Ne tamen nihil ornamenti haberet, intus spurcicia plenus, saltem externa specie sepulchrum voluit esse dealbatum. In vestibus, & cincinnis capillorum ac toto cultu corporis, erat munditiarum lautitiarumque studiosissimus; ceterùm Venus Dea Verticordia, summum illi numen erat. Quamobrem linguis omnium appetebatur; & erat fabula in tota ciuitate. Nullius enim vitij fama aut citius erumpit, aut latius solet fateri, dum quisque suas elui, aut minui maculas existimat maculis aliorum; quasi scilicet suum vulnus sanet, si alios quoque possit ostendere vulneratos.

Verè

Luc. 15. 13.

Catul. in per-  
tuis,



IV.  
 CVR, ET  
 QVAM DIVER-  
 SI IN ECCLE-  
 SIA SINT HO-  
 MINES?  
 Matth. 13.  
 Matth. 3.  
 S. Augustin.  
 lib. 1. de ciuit.  
 cap. 35.

Verè Ecclesia similis est sagenæ missæ in mare, ex omni gene-  
 re piscium congreganti, & velut area, in qua non modò triticum,  
 congregandum in horreum, sed etiam paleæ comburendæ igni in-  
 extinguibili reperiuntur. *Perplexæ sunt istæ duæ ciuitates, in hoc secul-*  
*lo, inuicemq; permixtæ,* ait S. Augustinus, *donec ultimo iudicio diri-*  
*mantur.* Hac ratione sunt qui curent, & qui curentur; monendi, &  
 monitores. Hinc frater ille minor annis, maior pietate, quoties se  
 se offerebat occasio opportuna, suauius verbis monebat alterum,  
 vt tandem ad se rediret, turpes illecebras desereret, Spiritum S. per  
 se loquentem non contemneret. Sed lapidi loquebatur. Erimue-  
 rò, quasi iaculum in rupem vibrasset, ita, pro fraterna correptio-  
 ne, conuitia resiliebant. Iussit enim eum suas res agere, non cu-  
 rare alienas: non moris esse dictitans, vt minor maiorem instruat;  
 discipuli proinde ad eum, non magistri partes pertinere. Quàm  
 sapienter ille, *Sape ego,* inquit, *audiui, eum primum esse virum, qui*  
*ipse consulat, quid in rem sit. Secundum eum, qui bene monenti obediat.*  
*Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse.*  
 Huius generis haud paucos videas mortales, qui cum ipsi ob men-  
 tis inopiam, nequeant dispicere, quid factò sit opus, dictu tamen  
 mirum, quàm sint præfracti, quàmque non admittant alienum  
 consilium, videlicet asinum illum referentes Horatianum, qui cum  
 nec viam nosset, nec duci pareret, in rupem præceps datus est. Ta-  
 lis erat iste adolescens, vecors sibi, & ad fratris vocem rupe durior.  
 Sua igitur via, immo in nouaculæ acie pergens miser, otio se se de-  
 debat, domi parietes, foris plateas omnes circuiens; illic fenestras,  
 hic viarum strata terens. Neque enim lectio illum delectabat libro-  
 rum; neque scriptio detinebat, aut iucundarum annotatio historia-  
 rum. Vagari, non studere, mens erat: aut, si quando, temporis  
 fallendi gratia, libellum in manus sumebat, inutilem sumebat, aut  
 curiosum; sæpius etiam perniciosum. Si quis ab eo, quid libri lege-  
 ret, petijisset, solos poterat Ouidios, Amadisios, & alios eiusdem  
 farinae authores nominare. Subtilia speculari, non esse nobilium,  
 dicebat. Si quando, præ otij ipsius tædio, aliquid agere incipiebat,  
 rebus solebat se inanissimis occupare. Fenestras frangere; rumpe-  
 re ianuas; euertere lecticas, aut destruere arcas; vt optarent alij il-  
 lum otiosum potiùs esse, quàm negotiosum, Quanquam ipse sponte  
 sua



sua erat laboris fugitans, nullaq; re seria occupabatur; idque vnum videbatur maxime curare, vt curaret nihil; habebatque promptas excusationes, vt se à negotijs subduceret. Manè in multam lucem dormiebat; à prandio, crapula dominante, somnum captabat, per multas horas, nisi eum ludi, vel socij excitauissent. Nimirum, nomine lassitudinis, multa sibi permittebat; cum tamen nulla re, nisi desidia, lassaretur. Vnde cedens tædio tristitiæque, animum nonnunquam nimis abiciebat atque contrahebat. Hinc & res diuinas, neque suo tempore, neque suo loco, neque suo ordine tractabat. Inspidum illi erat, quidquid de Deo, deque salute sua, audire cogere-  
 retur. Sæpe illi frater, sæpe alij dicebant: *Usquequo piger, dormies, quando surges è somno tuo?* Sed ille stupidum se se ad omnes interiores, & exteriores virtutum impulsus exhibebat: totus à pœnitentia alienus, licet quotidie faceret pœnitenda. Nam ex hac acedia, seu adeò graui, ad exercendas pias actiones, ad salutem necessarias, tædio, nascebatur incredibilis malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio & torpor, circa præcepta, mentisque in illicita quæque effusio. Ita peccati mancipium, hostis virtutum, nihil agebat vnquã, quod vitã æternã, semper quod æternã pœnã dignum esset; nec sibi, nec alijs utilis; in quo nullus labor, nulla cura, nulla industria fuit, sed quidam perennis exitij fons, lerna & scaturigo malorum, vno verbo, confluges quædã vitiorum, & mali commatis homo, publicumque dedecus erat, & *Cerite cera dignus.*

Hæc videns frater, identidem conabatur sanare; sed tanquam Bœoticam cantilenam afferret, aut velut loquax talpa identidem repulsus, verba gemitu lacrymisque terminauit. Non fatigatur labore charitas; vnum ex alio suscipit, vt semper operetur. Quamobrem, quod sanctus iste iuuenis à fratre non obtinuit sermone, precibus conatus est impetrare à Deo; quem assidue precatus est, vt tandem aliquando saxeam seductissimi fratris pectus dignaretur emollire; ne & se perditum iret voluptate, & alios exemplo. Impulit eum ad impensius precandum, quod videret, à fratre suo, tot seduci adolescentes, se autem vnum fratrem non posse reducere in viam; quo resipiscente, si alij illius commilitones non vnã resipiscerent, saltem complures adhuc integri, non de nouo corrumpentur. Instat ergo quotidie apud SS, Trinitatem, nunc Patri suppli-

Prou. 6. 9.

S. Damasc.  
lib. 2. c. 14.S. Greg. lib. 6.  
in 1. Reg. c. 14.V.  
FRATERNAR  
ORATIONIS  
MODVS, ET  
PETITIO.

Y

eans;



cans; nunc Filij misericordiam implorans; nunc S. Spiritus in vota vocans opem, vt cæco fratri aperire mentis oculos benignè vellet, ei que tantam vitiorum fœditatem ostendere, vt se ipsum noscens, vitam priorem detestari, feriamq; morum emendationem sibi proponere, ac, cum diuina gratia, in alium hominem transire inciperet. Sciebat enim primùm mentem esse illustrandam peccatoris, multis ignorantijs atque erroribus obtenebratam, & mala bona, bona mala esse iudicantem; aut certè alio modo iudicantem, quàm iudicari ea oporteret. Rogabat igitur, vt misero sua miseria ostenderetur; quàm scilicet vana ac fœda esset corporum voluptas; quàm multis spinis illecebræ pungerent; quanta vitæ breuitas; quanta mortis certitudo; quanta incertitudo vltimæ horæ; quanta diuini iudicij seueritas; quantum æternæ damnationis periculum; quanta Auernalium suppliciorum immensitas. Hæc cupiebat fratri suo inculcari, vt tam horrendorum malorum memor, de modo ac ratione cogitaret, ea euadendi; tandemque, ab exitijs suis pedem referret. Vt enim viator locorum notitiam non habens, si densa nocte, dum præcipitio proximus est, repentino cœli coruscantis splendore, animaduertat, certè sibi pereundum, nisi pedem referat; sine mora retrocedit, instantis periculi terrore totus contremiscens: ita peccator, cuius via tenebra & lubricum, mox, vbi eius menti cœlestis luminis illuxit coruscatio, discrimen videt, in quo versatur, horret, & resilit à viæ suæ prauitate. Hoc est, quod de terreno homine dicitur: *Illuxerunt fulgura, & coruscationes tue orbi terra: vidit, & commota est, & contremuit terra.* Rectè igitur, pro fratre suo, & recta orauit.

*Psal. 34. 6.*

*Psal. 76. 9.*

VI  
PRINCIPIA  
ET VIAE,  
QUIBUS PEC-  
CATOR SOLET  
CONVERTI.

O quàm potens est oratio, profecta à charitate! immo, quàm clemens & benignus Deus, in amicorum suorum precibus exaudiendis! Siquidem lachrymas tam pij fratris, pro pereunte fusas, aspexit; & vota admisit ad aures, toties ardentissimè suspirantis. Vt ergo sceleratum iuuenem sanaret, vulnerauit; quemadmodum & chirurgus solet, cum sanguinem è vena mittit. In morbum itaque, & in lectum compegit insanientem. Videte nunc, vt omnia in contrarium trahat ars Acherontica! Varios mittit monitores Deus: varios seductores diabolus. Deus à peccatis retrahit, per conscientiam velligantem; diabolus peccata extenuans, ad ea men-

tem



tem allicit, quæ contemnit vt parua, appetit vt dulcia. Deus per-  
mittit, vt homines de malis malè loquantur, itaque turpitudinem  
suam agnoscant; diabolus socios submittit, qui laudent delinquen-  
tes & aliquid audentes, faciantque improbos, in rebus pessimis  
exultare. Deus oues errantes dirigit ad concionatores, ac duces  
spirituales; diabolus eas abducit, ne audientes vocem pastoris re-  
deant ad mandram. Hinc pessimus quisque optimum quemque  
fugit, vt anguem. Deus denique, vt animas sanet, sæpe finit cor-  
pora mortalium ægrotare. Multi, cum per inualetudinem peccare  
non potuerunt, coeperunt cogitare meliora. Nam & suæ illis in-  
mentem venit naturæ fragilitas; & breuitas vitæ; & rerum huma-  
narum vanitas; & tribunal, quod à morte est, hominibus aduen-  
dum; & culpæ, in quas inibi anquiretur; & supplicia denique, quæ  
reis decernentur. Quæ vt effugiant, cogitant de modo & via eu-  
dendi. Offert se se illis diuinæ bonitatis immensitas; erigitur spes;  
quæritur exitus; arripitur, velut in naufragio, tabula poenitentia;  
flentur, recensentur, delentur peccata; & fit iustus, qui antea fue-  
rat omni scelere coopertus. Sic fit ex ipsis morbis medicina; ita  
corpore afflicto, Deus sanat animam ægrotantem; sicut fuit videre,  
in Ezechia, qui ægrotauit vsq; ad mortem, vt rectius disceret viuere.

4. Reg. 20. 1.  
1. Reg. 2. 6.

Ad hunc nempe modum Dominus mortificat, & viuificat. Diuersa  
via graditur diabolus. Nam ad peccandum validis, culpam eleuat,  
erimen omne excusat, ne delinquere vereantur. Ast vbi, debilitatis  
viribus, vita è filo cernitur pendere, & ad mortem vltimam rerum  
lineam venitur, ibi à fronte præcipitium, à tergo lupos ostendit.  
Nam omnia coaceruat, & accumulatur, vt anxium, inter dolores, ani-  
mum adigat ad desperationem. In hoc igitur vnico non est dispa-  
ritas, quòd neque Deus neque diabolus vnica, vt dicitur, sententia om-  
nes impellat; sicut enim diabolo Mille nocendi artes, ita Deo semper  
mille salutis erunt.

Cuius rei exemplum habemus, in hoc Parisiensi adolescente.

Ægrotauit, vt se sentiret percussum è Deo, velut pigrum asinum,  
qui excitatur, dum verberatur. Sed durus erat, & persuasum diffici-  
lis, similisque hostiæ Agamemnonis: quippe contrarium in eo effe-  
ctum peperit morbus, immo diabolus. Neque enim ictus sapuit, sed  
insaniuit. Nam qui, rerum piarum tædio, negligere assuetus erat

VII.

ACEDIA IN  
DVRTIAM ET  
DESPERATIO-  
NEM DEGEN-  
RANS.

Y a

omnem



Prou. 26. 13.

omnem virtutum exercendarum occasionem, etiam in hac ægrom schola nihil profecit. Verè nimirum dixit Salomon: *sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo.* Ostium sæpe mouetur, sæpe vertitur in cardine suo, nec tamen locum deserit, sed semper redit eò, vnde fuit apertum: ita piger in lectulo suo vertitur, sed semper ad peccandum reuertitur. Nec rarò morbi causam agnoscens ait:

Psalm. 31. 4.

*Die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in arumna mea, dum consigitur spina:* sed conuertitur tantùm ad conscientie stimulos, non ad Dominum; pungitur, non compungitur; cruciatur, non emendatur: offertur illi gratia, qua non vitur; quasi pila manco remittatur, datur enim tali beneficium, cuius voluntas non est parata ad accipiendum. Intuens igitur turbato mentis oculo & iste adolescens flagitiorum suorum multitudinem, criminumque enormitatem, vltimam addidit coronidem impietatis, vt desperaret. Huc scilicet perducit Acedia, vt clientem suum, qui per inertiam est domicilium dæmonis mali, ac plurimis ab hostibus oppugnatur, omnibus præsidijs exuat, armisque spiritualibus destitutum, discrimini exponat. Qui enim de salute sua sollicitus antea non fuit, nihil habet, quo se defendat, tempore necessitatis. Anima itaque illius, est instar militis sine galea, sine lorica; sine clypeo inter tela versantis; est instar vrbs, quæ sine mœnibus aut munimentis, hosti vndique peruia, exitium nusquam à se excludit. Ite igitur, pigri; ite, inertes, & negligite virtutem; fastidite bonum quod inchoastis; veniet tempus, quod ostendet, quid sit, pietatem neglexisse. Tristitia hæc vestra, de re spirituali; iste remissi animi, ad bene operandum, languor, hoc tædium virtutis, hæc animi fatigatio in ipsam tandem desinet desperationem. Sed ad decubentem nostrum iuuenem reuertamur.

S. Gregor. 3.  
p. cur pastor.  
ral. admon.  
16.

## VIII.

DEI PATRIS  
ERGA PECCATOREM  
EXPROBRATIO.

Is, dum partim corporis molestijs, partim animi intemperijs agitatus, nullam noctu neque corpore, neque animo quietem, neque somnum oculis capere potest, solusque se cruciat vitæ & conscientie cruces cogitando; vidit aliquando, intolita luce cubiculum clarescere; oculisque causam quærens, conspexit, ante lectum astare venerandi vultus virum. Canities illi non in barba modò, sed latè etiam erat per humeros diffusà. Ex oculis, tanquam duabus stellis, mirificus quidam fulgor radiabat. Cetera omnia erant

compo-



composita ad maiestatem; quæ tamen sola poterant parere me-  
 tum, agrotus tamen truci aspectu maximè exterritus cœpit totis  
 artibus contremiscere. *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium Sap. 17. 10.*  
*condemnationis. Semper enim presumit sana, perturbata conscientia. Ad-*  
*huc trepidabat, & tamen se coëgit, vt auderet interrogare: Quis*  
*ille senex esset, aut cuius rei gratia, id noctis tempus elegisset, ad se terre-*  
*faciendum? Cui senex respondit: Ego, vt nôris, celestis ille sum Pa-*  
*ter, qui te de nihilo produxi, vt esses, vt viueres, vt sentiret, vt ratione om-*  
*nia comprehenderes. Ego corpus tuum his sentiendi instrumentis, ani-*  
*mam intellectu, memoria, voluntate ornaui. Ego has, que in cœlo lucent,*  
*stellas, hanc lunam, solemq; ipsum lucis fontem, condidi, vt tibi famula-*  
*rentur; quo sine & reliquas tibi subieci creaturas. Ego te amavi; &*  
*postquam tu amoris meo odium reposuisti, per Angelum, per conscientiam,*  
*per fratrem tuum, per varios deniq; hominum piorum sermones, admonui,*  
*vt a scelerosa ista tua vita ad frugem, ad pœnitentiam, ad ceteras virtutes*  
*redires. Omnia frustra. In lapidem duratus es: audire me noluisti. Quan-*  
*do igitur omnes monitiones meæ in cassum ceciderunt, & toties vocantem,*  
*toties contempsisti; ecce huc veni, & adsum, vt tibi indicem, filium te esse*  
*eternæ damnationis. Sic dixit, & videri desijt; sed non desijt iuue-*  
 nis, immo jam demum cœpit longè formidabiliùs trepidare, ac in  
 sudore suo pænè natare; jam enim subibant mentē supplicia flam-  
 marum sibi accensa; jam æternitas suppliciorum; jam tota rerum  
 fluxarum vanitas; ebrietates, blasphemix, detractiones, turpilo-  
 quia, detestandæ voluptates in tormenta nunquam desitura com-  
 mutandæ.

Atque ita hoc cælestis Patris vaticinio percussus, quod re-  
 liquum erat noctis, totumque insequentem diem, sine somno, sine  
 cibo, traduxit; plenus anxietate, desperatione, atque expectatio-  
 ne tristissimæ illius horæ, quæ eum, ex hac vita, eiectum transmit-  
 teret ad merita supplicia funestissimæ æternitatis. Tale nempe fru-  
 ctum parit *Acedia*, & spiritualium rerum neglectus, vt piger, quan-  
 tum in se est, ipsa Christi merita inutilia, ipsa salutis adiumenta in-  
 ania reddat. Si iuuenis iste, concionibus sacris, si pijs colloquijs  
 diligenter interfuisset; si libellos asceticos voluisset, didicisset uti-  
 que, ipsius Dei comminationes commonitiones esse, neq; sine con-  
 ditione pertinaciæ aut pœnitentiæ denunciari. Quare neque, post  
 tam

IX.

RECTA FIDES,  
DVM SPIRAT,  
SPERAT,



tam tremendum etiam Dei Patris fulmen, desperauisset: sed promissionum, quas fides Christiana docet; quas Ecclesia in spem peccantium proponit; quas Prophetæ & Apostoli ad pœnitentiam confuſgentibus occinuerunt: sciuisse illud ad Ezechielem à Domino dictum. *Tu, fili hominis, dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus: Dic ad eos: Vius ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimini, à vjs vestris pestimis: & quare moriemini, domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua: & iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit. Etiam si dixerò iusto, quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitia eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixerò impio: Morte morietur: & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamq; reddiderit, in mandatis vita ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum: vita viuet, & non morietur. Omnia peccata eius, qua peccauit, non imputabuntur ei. Hæc si cognita perspectaque habuisset iuuenis, si non ad diuina, tanquam bos marinus stupuisset, etiam denunciata sibi æternæ damnationis sententiâ, in diuinæ clementiæ immensitatem sperauisset; cogitassetque, Deum mutare posse sententiam, si ille vellet mutare delictum. Sed nimirum desides non solum piget operari, verum etiam, adeo à salutis via abhorrent, vt eos pigeat quoque discere, quid sit operandum. Hinc oleum & opera, apud eos, perdita est. Hinc nomen Domini, hinc sanguinem Christi, hinc omnia Sacramenta in vanum acceperunt.*

X.  
DEI FILII  
ERGA PECCA-  
TOREM EX-  
PROBRATIO.

Quapropter, proxima nocte, desperato iuueni, in tenebris trepidanti, neque vlla salutis remedia circumspicienti, alius se stitit, vir conspicendum, luce clarissima refulgens. Erat hic aspectu longe iunior priore; ceterum ab imagine atque vultu prioris non multum abluens. Quamquam habitu atque ornatu valde diuerso. Neque enim longa illi palla fuerat, sed nudo propemodum corpore incede-



incedebat; in capite coronam è spinis acutissimis contextam, in humero ponderosæ crucis arborem gestans. E lateris plaga, tanquam è fontis perenni scaturigine, sanguis illi ebulliebat. Hic talis taliq̃ aspectu vir ad ægrum, in lecto, sollicitè vigilantem accessit, atque voce haud obscura interrogans dixit: *Nostinè me, qui sim?* O quem verè errantem, quæ neque vocem, neque vultum Pastoris sui nouit! Quousque tandem se se ignorantia etiam hominis Christiani extendit, vt neque sciat, neque agnoscat Redemptorem! Iuuenis enim interroganti respondit: *Non noui, quis sis, sed, nisi me oculi frustrantur, illi haud absimilis es, qui funestissimo, hesternæ nocte, nuncio me externauit. Cui rursus is, qui ponè astitit, aiebat. Ne mirare, si illi similem me vides, cum quo, in vna eademq̃ diuinitate similis mihi honor, similisq̃ gloria sempiterna debetur. Sum etenim IESVS CHRISTVS Dei Filius, quem, humani generis amore, infinita mea misericordia è caelo traxit, in virginem Maria Matris mea uterum, Unde mortali carne indutus, velut sponsus, de thalamo processit. Ita Dominus formam serui accepi, & in similitudinem hominum factus, Munda me meamq̃ infinitam, in corpore, ostendi bonitatem. Cui viam ad cælum, verbis, signis, prodigijs, exemplis demonstrari; meritis aperui. Fatigatus enim, fame atque siti cruciatus, astum & frigora passus, opprobrijs saturatus, tandem, in latronis modum, captus, iniquissimè accusatus, iniustissimè damnatus, ignominiosissima deniq̃, & crudelissima morte interfectus sum, vt diuina iustitia, pro tot iniurijs, ab hominibus Deo illatis, satisfaceret. Quando igitur tu, ò infelicissime iuuenis horum omnium à me acceptorum beneficiorum immemor, merita mea, & gratiam omnem pedibus conculcauisti, ecce huc veni, & adsum, vt tibi indicem, filium te esse aeterna damnationis. Dixit, &, cum dicto, manibus exceptum defluentem è lateris plaga recentem calentemq̃ sanguinem, indignabundus in faciem decumbentis proijciens hæc addidit: *In ignominiam tuam accipe sanguinem pretiosum, qui in salutem tuam aliorumq̃, effusus est. Hæc effatus desijt videri.**

Diuina hac voce iteratò fulminatus adolescens, spe & animo destitutus, pallido & buxante vultu, ac toto corpore contremiscens, cum nesciret, quid sibi consilij, in rebus tam deploratis, capiendum esset, vbi primùm diluculauit extemplo pium suum fratrem iussit accersiri; quem antè, vt anguem erat auersatus, Sed multos sape

XI.

EXTREMA PERICULA SÆPE DOCENT SAPERE.



sæpe extrema pericula, ad extrema remedia compulerunt: ut quæ arcta fames, optimum cibi condimentum, etiam mucidum panem lapidum facit; ita summa necessitas grata reddit, à quibus antea abhorrebamus. Aduit illico vocatus, & se vocari lætus, sibi pariter ac fratri est ex animo gratulatus. Verùm ubi eius tam miserandum aspexit vultum, ut videretur sibi fratrem, in ipso fratre, amisisse; vehementissimè obstupefcens, cœpit ingemiscere, atque vbertim lachrymare. Venit mihi hîc in mentem id, quod de amicis Iob scriptum legimus. *Nam audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldat Subites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes vstarent eum, & consolarentur. Cumq̄, eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, sciscisq̄, vestibus, sparserunt puluerem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo septem diebus, & septem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Ad eundem modum, conspecta tam lamentabili facie fratris, videtur mihi diu silens optimus ille adolescens semetipsum priùs cogitando, quàm mente & corpore pessimè ægrotantem consolando excitauisse. Et efficacius dicuntur, quæ dicuntur meditatè. Satis igitur esse censuit, si lachrymis loqueretur, secumque diu tacitus calamitosum fratris statum considerauit: è quo ut eum eriperet, varia illi consilia inciderunt. Diligebat eum, ut hominem; amabat ut fratrem, seruare cupiebat, ut pereuntem. Et quid, inquiebat, ago? si diligo, succurro; emendo. Nam etiam quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. *Quis enim filius, quem non corripit pater?* Amantis Dei signum est, si conscientia morsu admoneat reuocetque peccatorem; cur eum amorem non imitetur frater? Nullum maius diuinæ iræ signum est, neque grauior, in hac vita, potest esse pœna, quàm si summus ille rerum Arbiter, peccantem cesserit admonere. Summè irati comminatio est: *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascat amplius: itemque, Iuravi, ut non irascat tibi, & non increpem te.* Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur? ait S. Bernardus. Quid agam? an ego sic irascat? Non est mihi hîc irascendi, sed diligendi tempus. Non sum pater? sum tamen frater. *Frater, qui adiuatur à fratre, quasi ciuitas*

Iob, 2, 11.

Proù. 3.  
Hebr. 12, 7.

Ezech. 16.

Isa. 54.

S. Bern. ser.  
42. in Cant.

Prou. 18, 19.

uitas



*uita firma. Sed sum natu minor? at omnè animal diligit simile sibi; sic Eccl. 13, 19.*  
 & *omnis homo proximum sibi; cur hac ego dilectione abstinebo? cur tacendo videbor facta eius approbare? aut de eo, tanquam inemendabili desperare? Sed sæpe me iam repulit admonentem? Atqui jam vltro vocauit, morbus eum domuit. In tempore veni. jam est occasio vlceris secandi. Erumpe, anime, in lachrymas, & verba, quæ leniri vultu possunt, vt tolerentur; apud Deum perdi non possunt, si apud fratrem repudientur.*

Ita secum tacitè sermocinatus, tandem in has voces erupit:  
*Heu mihi, frater charissime, qualis es, quantum mutatus ab illo, quem de formositate omnes, cum admiratione, paulo ante, predicauerunt? quem certatim tot puella, & tot matrona concupierunt intueri? Quò color? quò forma excellentia? quò venustas oculorum recessit? Ubi nunc sunt illecebra? ubi socij illi iucundi, qui aures tuas obscenis iocis, mentem Cupidinibus Venereis replerunt? Cur nunc te non inuisunt? Cur nunc deserunt, cum solatijs tibi maximè est opus? cur, in extrema rerum desperatione, relinquunt? Ast non ego, id agam; fratrem frater non deseram: dummodo non celes, neq; dissimules mihi, quidnam tibi adeò dirum acciderit, ut mente percussus, & totis artubus contremiscens, ac sudabundus, ad omnem aura motum expauescas? Ecquid veteris vita tua es memor? ecquid verborum meorum recordaris? Nonne vaticinatus sum tibi, venturum tempus, quo te pœniteat, Spiritui S. per me, perq; alios, te ad frugem vocanti, toties restitisse? Talibus vulnerato verbis vel oleum affudit, vel medicinale vinum, dixitq;: Mi charissime frater, si tremorem sudoremq; hunc tibi vehementia morbi exprimit; bono sis animo, nondum actum est de tua vita; multi grauioribus è morbis reducti sunt ad sanitatem. Quòd si verò tua te peccata, & anteacta, in tot flagitijs, vita memoria tantopere exterret, præsto est remedium; ingemisce, peccata detestare, emendationem promitte; veniam ora; sacerdotem voca; neq; spem abijce. Bonus est Deus, infinita est clementia illius; cuius misericordia non solum pendenti in cruce latroni veniam, repente, & ob pauca verba impertinit; verùm etiam Paradisum sponndit. Idem mansuetissimus Deus, etiam hodie adhuc pœnitentiam tuam expectat; nequo vlli, quàm diu vivit, peccata sua retractanti, cælum claudit. Vita hac via est; quàm diu in via sumus, redire licet, & corrigere errorem, qui nos in abrupta duxit,*

XII.  
CORRECTIO  
FRATERNÆ.



XIII.  
DIVINAE MI-  
SERECORDIAE  
FIDVCIÆ.

Hæc alloquia, cum ardore ac suauitate facta, animum desperantis molliuerunt, & os quoque obstinatè priùs obseratum aperuerunt. Ex ordine igitur omnia recensuit, quæ illi, proximis duabus noctibus, euenerunt: Quo pacto scilicet cælestis Pater, eum pronunciauerit damnatum; Qua detestatione, Filius Dei sanguinem de latere haustum illi sit in faciem iaculatus, eumque penitus perditum declararit. *Quare*, inquebat, *actum est de me; nihil mihi amplius prodest, pœnitere, etiamsi sanguinem fleam. Stat sententia irrenocabile est iudicium, quod de me tulit summus iudex. Non licet appellare ad superiorem. Muta sunt exta, Nihil proficio hoc porco piaculo immolando. Quo modo enim aliter de me loquar, qui credidi sicut Ethnicus; vixi sicut Epicureus? & Deo offenso, rogoq; mihi jam parato, porrectis pedibus dormiui? maximè securus, cum maximè periclitarer? Principium fanitatis est, morbum detegere. Itaque, conspecta mali radice, ita porrò porrexit insanientem frater consolari. Tametsi cælestis Pater, cui Veritas attribui solet, cum adhuc impœnitens esses, tibi tanquã damnato, se se iratum stitit; & Filius, cui iudicium ascribitur, cum mala adhuc voluntate, in peccatis submersus jaceres, te sanguinis sui fructu meritò indignū iudicauit: nequaquam tamen tibi, cui etiam nūc pœnitentia tempus conceditur, est de salute desperandum. Nimum perdit, qui cælum perdit. Perdit autem cælum nemo certius, quàm qui spem abiicit cœli potiundi. In quam se facile erigit, quisquis credit, infinitam esse Dei bonitatem, & nullum numerum misericordiae eius; cui proprium est misereri & parcere; & pro malefactis, si cum dolore agnoscantur, beneficia reponere, paternaq; sua prouidentia clara ubiq; relinquere argumenta. Vt cetera mittam, cogita inauditam illam charitatem, qua, ut oues perditas quæreret, de cælo descendit, & factus homo, etiam pro inimicis suis, in cruce, se ipsum optimam hostiam obrulit. Hic idem te tam diu sustinuit; hic tam diu expectauit, neq; mille gehennas commeritum detruisit ad Acherontem: immo dum pœnam indixit, ad veniam inuitauit. Minari, est monere. Audi me igitur serio, & consilio meo da locum; consti- tue vel jam à scelerosa tua vita desistere; criminatq; fletu dilue; & caute- riatam tuam conscientiam, cum gemitu, detege sacerdoti; quis scit, an- non Spiritus S. qui bonitas Dei Amorq; appellatur, unusq; cum Patre & Filio Deus est, pœnitentiam agenti veniam largiatur? Nulla ille re magis offenditur, quàm si quis desperet de illius bonitate, aut contra stimulum calcitret;*



calcitreret; nulla illi magis in homine peccatore res placet, quàm si, postlapsum, ad misericordiam fontem recurrat. Hæc talia audiens ægrotus, non jam ob supplicia sibi impendentia; sed ob flagitia, quæ sciebat se perpetrasse, contremuit; atque ex animo dolens, quòd Creatori suo creaturas anteposuerit, & tantum tamq; benignum Dominum reliquerit, benefactorique ac beneficia plura conferre volenti ingratus, tam diu resistit; rogavit fratrem, ut sibi actutum iuberet vocari sacerdotem. Bonum factum. Adfuit, sine mora, sacerdos, cui, tanto animi dolore, peccata sua recensens se se accusavit, ut præ gemitu & fletu verba singula interrumpere.

O si multi tales fratres haberent! vel, in ipsa morte, ad poenitentiam potiùs, quàm ad pocula, ad risum, ad libidinem adhortantes! Quid non potest pia alterius admonitio! quos non eripuit è medijs Orci faucibus? Neque verò Religiosorum tantum est, aut Parochorum; sed etiam parentum, fratrum, amicorum, quin & sociorum, adhortari ad charismata meliora. Si enim toties socijs socij sunt occasio cadendi; cur nolint eosdem erigere rursus in virtutem? Ah quàm multi ab impietate sua resilirent, si tales haberent admonitores! Non piget, præferre facem euntibus per tenebras; & piget ostendere errorem euntibus ad Infernum? Cur, ô Christiane, de lumine tuo, fratri tuo non offers lumen? Hoc magnum lumen, ait S. Gregorius, tenebras cordis euacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiæ, desiderium virtutis adauget, magnum lumen, per quod vitamus offendicula, precipitia præcauemus, euadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus aduersa, respicimus errorem, sequimur veritatem; Dæmonem vincimus, & sequimur Christum. Hoc lumen multi, in alijs, possent accendere, si pium hunc fratrem vellent imitari; si ipsi diuinum in pectore ignem gestarent; qui ardet, ut illuminet; illuminat, ut ardere faciat: illuminat in intellectu, ardet in voluntate, in qua magnum excitat de peccatis dolorem, & vehemens efficit desiderium salutis; & quidem adeò efficaci validoque impulsu; ut tollat omnem mentis tarditatem, summaque celeritate currere, immo volare faciat accensum, ut se eripiat è statu malo, in quo hæserat, (quemadmodum ceruus, qui serpentem deuorauit, aut quem canes, persequuntur) reperiatque fontem viuum gratiæ, atque à

## XIV.

QUANTVM  
PROSIT, AL-  
TERVM AD-  
MONERE?

S. Gregor. in  
Psal. 6. Pœ-  
nit. ad vers. 6.

Psal. 41. 24.



peccatorum suorum veneno, crudeliumque hostium persecutione liberetur. Hoc modo, post multas longasque moras, & tergiuersiones, tandem fraternis facibus inflammatus festinauit desperatus ille adolescens, tantoque properantius festinauit, quanto mortem vidit in limine sibi adesse viciniorem.

XV.  
S. SPIRITVS  
SVAVISSIMA  
CONSOLATIO,

Neque sanè serò. Quippe, cùm, peractâ peccatorum accuratâ confessione, sumtòque SS. Eucharistiæ Sacramento, extremamque ad luctam sacro oleo inunctus, vltimam vitæ suæ horam, in omnia temporis momenta, præstolaretur; ecce tibi, nocte tertia, alius se illi quispiam veneranda specie vir conspiciendum præbuit, duobus, qui præcesserant, vultu haud dissimilis; stola candenti amictus; cuius humero niuea & argentei fulgoris columba insidebat. Hic lecto propinquior factus, mitissimis oculis, ægrum intuebatur, & vultu suavissimè reidenti. Quo aspectu animosior iuuenis, O Domine, inquebat, *quisnam tu es, qui me terroribus præteritarum noctium exanimatum inuisere, ac tam amabili vultu solari non dedignaris?* Cui ille: *Ego sum S. Spiritus, qui à Patre Filioq; procedens, eiusdem sum cum illis potentia ac diuinitatis; atque idcirco ad te veni, ut tibi significem, remissa esse tibi peccata tua, iamq; tibi celestis regni portam pateere.* Hac tam consolabili allocutione, ægrotus velut ex abyssò desperationis sese erigens, vocalissimè cœpit, ex imo pectore exclamare: *ô verè Pater pauperum! ô consolator afflictorum! ô dulcis hospes anima! ô mirabile refugium omnium ærumnosorum! Quid hoc est, quod audio? Mihinè cœlestia regna pateant, cui & Pater, & Filius æternam damnationem decreuerunt? cui Tartarum, cui flammæ inextinguibiles sunt comminati? neque immeritò. ut à quo toties, tamq; nefandis sceleribus offensus fuerunt? Itanè illud iustum, infallibile, & diuinum iudicium, à quo nec exceptio, nec appellatio vlli datur, tam exigua mea pœnitentia potuit mitigari?* Ad quæ S. Spiritus denuo respondit: *Fili, bona mente esto, neque de salute tua quidquam ambige: magnam enim vim habet vera pœnitentia; sedit illum, cui omne genu seditur; vincit omnipotentem & omnia vincentem; mutat quodammodo immutabilem, & placat iratum Deum. Atque ut vno verbo multa te doceam; perseuera in copta pœnitentia via: testamento tibi tuisq; prouide maturè pieq; condito: pectus tuam virtutibus imple; & dum lucem habes, quantum potes, salutem tuam operare. Post triduum ad te veniemus, animamq; tuam,*

cum



cum triumpho, in cœleste gaudium introducemus. His dictis, disparuit. Vaticanij, ac promissionis veritatem euentus probauit.

## P A R S S E C V N D A.



QVIS, ex hac historia, velut è fertilissimo horto, non varios fructus colligat? 1. Discimus, nullum Spiritu S. esse præstantiorem consolatorem. Cur ergo ad eum, tam raro, tam tepidè, tam tardè recurrimus? cur fallacis mundi solatia, tanti facimus? quærimus? & anteponimus optimo consolatori? *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* 2. Discimus SS. Trinitatis personas agnoscere, & venerari. 3. Discimus Dei vias, qui hominem peccatorem, etiam *ex inuito volentem facit*, & ut B. Prosper ait, *quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis, obediendi in delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur: ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat.* Hoc est, quod ait: *Ego percutiam, & ego sanabo.* Multis morbi sunt salutare. Plurimi vtiliter terrentur, & turbantur. *Traditam nobis diuinitus disciplinam, ait S. Cyprianus, pax longa corrumpat, iacentem fidem, & pœnè dixerim dormientem censura cœlestis erexit.* 4. Discimus, quantum possit oratio, pro alijs, ex charitate facta. *Hac est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem eius, audit nos; sicut audiuit fratrem pro fratre orantem. De quocumque pessimo in hac vita constituto utique non est desperandum, ait Hipponensis antistes, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* 5. Discimus, nulli desperandum, quamuis plurimis se se peccatis inquinârit; quamuis diu in hoc luto hæserit; quamuis ad extremum vitæ peruenerit. *Millies peccasti, millies pœnitentiam age. Si peccata, ait S. Basilius, & magnitudine, & numero possunt definiri: miserationes autem Dei neq; magnitudinè, neq; numero possunt circumscribi, sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & commissæ peccata detestanda. Et si quis innumeris peccatis sit sanciat, inquit S. Chrysostr. si eorum pœniteat, & bonum agat, ita Deus omnia abolet, ut nullum eorum vestigium appareat. Et S. Augustinus: Fortè cogitat aliquis, tam grauiam se admisisse peccata, ut jam Dei misericordiâ promereri non possit; absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicumque illam peccatorum*

XVI.

HISTORIAN  
SUPERIORIS  
DOCUMENTA.

Psalm. 117. 8.

B. Prosper.  
lib. contr.  
Collator. c. 6.S. Cyprian.  
serm. de lapsis.

I. Iean. 5. 14.

S. Aug. lib. 1.  
Retract. c. 19.S. Basil. in  
reg. breuiorib.  
q. 13.S. Chrysostr.  
proem. 1. in  
Isaiam.S. Aug. serm.  
58. de temp.



multitudinem attendis, cur & omnipotentiam celestis medici non attendis? Cum enim Deus velit misereri, quia bonus est; & possit, quia omnipotens est; ipse contra se diuina bonitatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non uelle, aut non posse credidit; eumq; aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. Sit ergo quantacunque multitudo iniquitatum humanarum, maior tamen est multitudo miserationum diuinarum. Sed Midas es, & auriculas, immo fibras & pigritiam asini habes? sed, in rebus sacris, nihil ab elephante differs? Sed diu in sordibus iacuisti? sed vno tantum gradu à morte, & ab æterna damnatione distas? Audisti, qualis fuerit, & quò deuenit iuuenis ille: pariter & cum morte, & cum desperatione luctabatur. *Nunquam serua est conuersio*, ait S. Hieronymus. *Latro de cruce transijt ad Paradisum. Nabuchodonozor rex Babylonis, post efferationem corporis & cordis, mentem recipit humanam.* Assonat D. Augustinus, dum scribit: *Nunquam Deus spernit pœnitentiam, si ei sincere, & simpliciter offeratur.* Et infra: *Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est, omnia ablui, per pœnitentiam.* Subscribit B. Isidorus, quo teste, *Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa finem vite ad pœnitentiam conuertatur. Vnumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita iudicat.* Quò deuenisset Parisiensis adolescens, si eum de vita præterita Deus iudicauisset? Vitam malè traduxit, sed bene clausit; & in cœlum intrauit. Agite o senes capulo proximi, adeste moribundi ex intemperantia iuuenes, de quibus medicus desperauit: si actum est de corpore vestro, nondum tamen actum est de anima vestra: tam diu vobis licet sperare, quàm spirare. Quia, vt S. Cyprianus loquitur, & in eodem articulo temporis, cùm iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerferit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec seruum est, quod verum, nec irremissibile, quod voluntarium: & quacumq; necessitas cogat ad pœnitentiam, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec hora extremitas, nec vita enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia; sed in amplitudine sinus sui, mater charitas prodigos suscipit reuertentes; & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore, Dei gratia recipit pœnitentes. Itaque si properandum est, summis velis vti licet; & vt in prouerbio est, ventis deltitutus re-  
raos potest adhibere.

S. Hieronym.  
ad Lætam ep.  
7.  
S. Aug. serm.  
181. de temp.

Isidor. lib. 2.  
de summo  
bono c. 144

S. Cyprian.  
serm. de co-  
na dom.



*O spes, tu omnia portare facis dulciter & suauiter! Eia ergo fratres* exclamat ille, *hanc amate, hanc tenete; non tamen sine timore, quia qui sperat, & non timet, negligens est: qui autem timet, & non sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* Etsi enim spes, quia fide Catholica nititur, qua nihil certius, certissima firmissimaque esse debet; non est tamen ita absoluta eius certitudo, vt excludat omnem timorem: cum possit, ex parte nostra, defectus interuenire. Hinc monet Apostolus, vt cum timore & tremore salutem nostram operemur: & Salomon: *In timore Domini, fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes.* Quod cum omnibus dicatur; quid illis necesse erit, quos natura fecit ad omnem laborem socordes? quos mala consuetudo perduxit ad nauseam omnis pietatis? qui, cum potandum, feruidi; frigidi, cum orandum? in virtutem semper segnes, alacres ad flagitia? ad internos externosq; diuinos impulsus stupidi; ingeniosi ad alios fallendos? Qui nunquam conscientias suas inspiciunt, semper rimantur alienas? Qui neque bene monentibus credunt, neque salutaria suadentibus obediunt? & cum boni nihil agant, malisque scateant, tamen se esse sine vitio, sine culpa arbitrantur? Qui nullam temporis, nullam virtutis jacturam aestimant? Ignauum pecus, fuci, fruges consumere nati, neque Dei honorem, neque Ecclesie vtilitatem, neque suam salutem promouentes; ac tandem subito eo deuenientes, quod adolescens supra memoratus peruenit: vt scilicet, praesens spiritus & virtutum egestate, desperaret. Nam ex acedia non solum euagatio, pusillanimitas, torpor, rancor, & malitia, sed etiam desperatio pullulat, vt D. Gregorius monet. Ita illis contingit, qui ad opera sancta, corde arido, & affectione recalcitrante, vix trahuntur, vix gehennali timore compelluntur, ait S. Bernardus. Siquidem, vt idem alio loco monet, *Inuenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga & calcariibus indigentes, quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio: quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine edificatione: quos denique, ut videmus, vix gehenna metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet.* Non tibi horum vita Inferno penitus appropinquare videtur? Quemadmodum appropinquauit Parisiensis adolescens. Nec omnibus Deus pio illius fratri similem submittit, qui oratione

XVII:

NEC SINE  
SPE, NEC SI-  
NE TIMORE  
VIVENDVM.S. Aug. sermo  
15. ad fratres  
in eremo,  
Hebr. 6. 15.  
Phil. 2. 12.  
Prou. 14. 26.

Prou. 28. 19.

S. Gregor. lib.  
30. moral.S. Bern. sermo  
3. de Ascens.  
Domini.  
Idem sermo. 6.  
de Ascens.



Cassian. Col-  
lat. 4. c. 19.  
Apoc. 2. 4.

Prou. 20. 4.

S. Bern de  
triplici custo-  
dia.

S. Bonavent.  
in dicta salu-  
tis tit. 1. c. 7.

Iob. c. 40.

3. Cor. 6. 15.

Cassian. l. 10.  
cap. 7.

XVIII,  
ACEDIAM OM-  
NI STUDIO  
EXCVTIEN-  
DAM.  
S. Damasc.  
lib. 2. de fid.  
Eccl. 9. 10.

Cic. de se-  
nect.

eos fulciat, aut excitet admonitione. Siquidem acedia gratiam Dei incidit, tantamque Deo nauseam creat, ut tepidos, inertes, otiosos, quos jam in visceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam convulsione pectoris sui enomendos esse pronunciet, teste Cassiano. Et iustè profectò: quia dies salutis neglexerunt datos ad operandum. Propter frigus piger, arare noluit; mendicabit ergo astate, & non dabitur illi. Nimirum, qui vegetus, ob difficultatem, virtutes neglexit exercere, in morte æstuans, Dei Sanctorumque ope frustra implorata, totus inops relinquetur. *Libet, aiunt, fabulari* (verba sunt S. Bernardi) *donec hora prætereat, hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, miseratio Conditoris indulget. Donec transeat, inquit tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Cur talem Deus non euomat ex ore? cur illi non tandem neget tempus pœnitentiæ? qui tempus pœnitentiæ in malitiæ occasionem commutat? & velut inculta terra, pro spicis spinas, pro frugibus tribulos gignit? virtutibus vacuus, vitijs plenus: vel certè salici similis, ut eum S. Bonaventura comparat, quæ nullum fructum, sed umbram duntaxat, facit: nullum enim boni operis fructum, sed umbram solum facit & refrigerium diabolo, de quo Iob ait: *Circumdant eum salices infructuose.* Ita piger & puluinar, & umbra diaboli, non dat locum Deo. *Quæ enim conuentio Christi ad Belial?* Dat autem locum diabolo. Notum est enim illud, apud Cassianum, *Operantem demone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.*

Atque hoc optimum est, contra hoc vitium, remedij genus, assiduus labor, desidiæ è diametro oppositus. *Si enim acedia est tristitia aggrauans mentem, ut nihil boni ei agere libeat, quemadmodum Damascenus docet, profectò ei locum non dabit, quisquis à diuino opere non est cessaturus.* Ad quem laborem nos excitat & vitæ breuitas, & autoritas scripturæ dicentis: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* O quot horæ prætereunt otiosis, quibus coelum mereri possent! hodie cessant, quasi crastina dies certasset? in iuuentute nugantur, quasi pro serijs agendis, quisquam sibi possit promittere senectutem? *Quis tam stultus est, ait Cicero, quam-*  
nis sit



uis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum? Hæc, inquit D. Leo, sollicitissima meditatio debet esse sapientis, ut, quoniam breues dies istius vita, & incerta sunt spatia, nunquam sit mors morituro impronisa; nec in inordinatum incidat finem, qui se nouit esse mortalem. Non nouerat Parisiensis ille adolescens, hinc imparatus erat. Immo, etiam postquam morbus eum docuit, mortem non procul abesse, desidiã non abiecit; quia mens non inest centauris, & ille in malo induruit. Lapidem non nisi magnis artibus molliuntur: nec tardum animal asinus finit se ad ludos Circenses, & stadia decurrenda erudiri. Superest oratio, qua isti sibi excutiant torporem. Ad dormientes, & nocte dormientes sed dormientes, in loco orationi destinato, dixit Christus: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Sed quia pigrorum non est vigilare; neque orare dormientium, saltem vigilantes orent, pro ijs, qui profundo peccatorum somno demersi nesciunt, vigilantne, an somnient: & ad pij fratris, de quo dixi, exemplum, ignito eloquio torpentes extimulent, adigantque ad SS. Sacramenta, præsertim Pœnitentiæ atque Eucharistiæ frequentanda, quod itidem frater ille fructuosè fecit. His enim cor hominis purgari, confirmari, & ad bene agendum solet roborari: per hæc Spiritu S. in præcordia admissio, solet homo, quantumuis crassus, quantumuis in nauibus, immo sordibus educatus, quantumuis frigidus & tardus ita inflammari, ut jam feruidè currat, qui antea languidè desidebat. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Et vel Sallustius dixit: *Ubi socordia atque ignauia te traderis, nequicquam deos implorabis.* Ut ergo Spiritus diuinus te inflammet, ignauiam detestare: quam magis detestaberis hoc Spiritu incensus. Antiquum remedium est:

*Qui non vult fieri desidiosus, amet.*

Deum amans calebis. Calor veloces, frigus tardos facit. Ardentissimè in via Domini progrediuntur, qui igne hoc cœlesti incalescunt. Est enim Sanctus Spiritus iste vita nostra spiritualis; est spiritui nostro, quod est spiritus noster carni nostræ. Grande est discrimen inter spiritum & carnem: *Spiritus promptus est, caro infirma.* Spiritus est res subtilis: caro est crassa. Spiritus est res incorporea, simplex, viua, mobilis, pura, intelligens, immortalis: caro est res corporea, multiplex, impura, sordida, torpens,

A a

sensu

S. Leo. serm.  
5. de ieiun. 7.  
mensis.

Matth. 26. 41.

Matth. 26. 41.



sensu & ratione destituta, corruptioni obnoxia. Et tamen spiritus iste, anima, inquam, si carni vniatur, vi sua, præsentiaque carnem mirabiliter extollit, ad se trahit, sibi que ita copulat & iungit, ut caro fiat viua, pulchra, mobilis, bonorum animæ particeps, & quodammodo spiritualis. Denique vnus ex vtroque homo constat; qui quamuis, ratione carnis, sit corporeus, mortalis, & rationis expers; tamen ratione animæ, eiusque naturæ, est incorporeus, immortalis, & mente ornatus; aptus ad intelligendum, idoneus ad agendum & operandum. Vno verbo, per hanc animæ cum corpore coniunctionem, corpus animatur; & quod alioqui, suo pondere, descendit & aggrauat animam, ab anima tamen ad summa eleuatur, ut viuat, ut videat, ut audiat, ut ambulet, ut currat, sensibusque omnibus rectè uti possit. Quale igitur est corpus, seu caro, sine, aut cum anima; talis est ipsa quoque anima nostra, sine, aut cum S. Spiritu. Quo si caret, anima nostra infirma est; si autè eo Spiritu prædita est, viribus pollet. Ille enim *infirma nostri corporis virtute firmans perpeti*, ad opera pietatis nos promptos reddit. Sine hoc Spiritu, nihil nisi carnem sapiunt homines, in terrena, in crassa, in impura, in sordida, more pecorum, & tanquam obesi porci feruntur; torpent; corrumpuntur; denique ratione & vita spirituali destituuntur, & velut mortui iacent, sine sensu, nec se mouent; sed in sordibus suis computrescunt. Quòd si autem hoc Spiritu pleni, *virtute ex alto induantur*, velut, è somno, aut à morte excitati, viuere, moueri, vigere, ac suam aliorumque æternam salutem cupientissimè curare incipiunt: ut videre fuit, in Apostolis, qui & ipsi, ante S. Spiritus aduentum, Iudaorum metu, domi se, intraque parietes continebant; postquam autem Spiritus ille vehemens linguis igneis eos inflammauit, tanquam vitali calore concepto, animati prodierunt, Christum, coram omni tribunali, & *ante omnes reges, & præfides*, & tyrannos, heroica libertate, professi. Quid multis opus est? *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; Christi causa, paratorum omnia facere, omnia pati. Hunc ergo Spiritum, si abest, vocemus & inuocemus; si adest, non contristemus; eo præsentè, vigor & ardor, vita & virtus erit in nobis. Cuius rei exemplum & imaginem expressit, quando *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum*

Luc. 24. 49.

Act. 5. 41.

Luc. 21. 12.

Psal. 18. 5.

Gen. 2. 7.



culum vita, & factus est homo in animam uiuentem. Limus terra sumus, & pigrum lutum, è quo nos non Prometheus aliquis, sed diuinus figulus finxit. *Spiraculum vita* spiritualis est S. Spiritus. Itaque tunc demum in animam spiritualiter uiuentem euadimus; tunc uere in ipso uiuimus, & mouemur, & sumus, si hoc *vita spiraculum* nobis Dominus Deus inspiret. Ad hunc *lucis radium*, uideamus animæ nostræ & pericula, & auxilia. Hic si *flabit spiritus*, fluent *aquæ lachrymarum*; ac uera de peccatis pœnitentia, nullum relinquet locum, desperationi. Hic Spiritus etiam illi, qui in profundum uenit, & quæ scelerum suorum *tempestas demersit, secundam post naufragium tabulam* ostendet, docebitque extremo discrimine laborantes sacram anchoram soluere; si neque docentem spernamus, neque ducentem repudiemus. Maximum præsidium est, Spiritui Sancto aditum patefacere; maximum periculum, resistere; eumque salutaria suauissimè inspirantem repellere. Quem ille à se admissum potest credere; qui gaudet pietate; ille exclusum existimare, cui tædium est, de cælo cogitare, nausea audire de Deo, abominatio facere ea, quæ aternam coronam mereantur. Quis enim censeat, in illo Spiritum diuinum habitare, aut operari, qui cum Domino in latitia seruire, & de meditationibus sacris, de diuino cultu, de usu sacramentorum, de exercitio virtutum magnum animi gaudium deberet perferentiscere, tristatur, quoties illi in mentem uenit aliquid diuinum? quoties ad templum eundum? quoties orandum? quoties confitenda peccata, & conscientia emaculanda? quoties cæli manna, Angelorum esca, epulum ineffabile, panis omnem dulcedinem habens est percipiendus? quoties denique de Deo, de quæ rebus aternis est audiendum? Usque quò, piger, dormies? quando consurges è somno tuo? Themistocles Hieronem cum equitatu ad ludos Olympicos uenientem uetuit certamem spectare. Interrogatus, cur hominem excluderet? Non æquum esse respondit, ut is, qui maximi periculi se socium non præbuisset, ad communem conuentum ludicraq; spectacula admitteretur. Neque ad beatam illam societatem admittetur, neque cum Christo regnabit, qui in terris cum illo non uult pati. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Cælo vis potiri? uigila; labora; suda; sine fatigatioone sursum non tenditur. Deorsum cadere possunt, non ascendere dormientes. Paralyticum in grabato

Isa. 26. 16. &  
Rom. 9. 21.  
Act. 17. 23.

Psal. 147. 18.

Psal. 68. 3.

Psal. 99. 2.

Prot. 6. 9.  
Elia. lib. 9.  
Var. c. 5.



homines ad Christum, Lazarum Angeli in sinum Abrahamæ portauerunt; pigrum nunquam ad cælum portabunt. Superi omnia laboribus vendunt. Coronam pugna, mercedem labor, præmium merita reportant. Denique *regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*. Non itur illuc per rosas, sed per spinas. Nemo sibi imaginetur, in arduis, facilitatem. Qui mollem viam, qui facilitatem sectatur, *facilis descensus Auerni*. Hanc otiosus sedem speret. Æterna beatitudo virtutis est præmium. Pro æterna damnatione non est laborandum. Leuiore Tartara, quàm sidera pretio possunt haberi. Desidia atque otio eò potest perueniri. Licet cetera vitia absint, etiam nihil fecisse, est infernum meruisse. Itaque *vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & discite sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec praeceptorem, nec principem, parat in astatem cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat*. Tu quoque, si sapis, *thesauriza tibi thesaurum in cælo*.

Matth. 11, 12.

Prou. 6. 6.

Matth. 6. 20.

FINIS.

Omnia ad maiorem Numinis  
gloriam.



INDEX